Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1301
Quelle:
Copyright:

putem innuere Noſtrum, dum ſupra in Praef. ad *Adelbertum* ait: *quedam alia que de beata maria ſcripſi. que adhuc in ſcedis ſunt. uobis examinanda tamquam quintilio uel ariſtarcho libens offeram.* Prolixior fui in recenſenda hac Sylloge, quod penitus ignotam arbitror. Atque utinam Autoris, qui fortaſſe Sodalis *Oſterhovianus* fuit, nomen Codex quiſpiam alius proderet! Sed nempe vereor, ne noſter ſit *unicus.*

IX. *fol.* 83. alia manu, et alio Autore, ut quidem ſtilus ſuadet, absque Inſcriptione primaria, ſed titulis miniatis interſtinctum *Carmen* de Corpore et Sanguine Chriſti, cujus ingreſſus:

Simpliciter fuſa te non moueat mea muſa.
Arte uel ex uſu bene neſcio ludere uerſu.
Eſt humilis muſa. ſed compenſat pia cauſa.
Sunt mea materia menſe chriſti ſacra diua &c.

Traditur Doctrina de Transſubſtantiatione; *Titulo* autem *penult.* dicitur ſolum Corpus Domini ſine Calice tantum dari Infirmis, aut quando in Feſtis unus eſt Plebanus, qui Sacramentum diſtribuat

Ipſe carens alio ſacro quocunque miniſtro.

Ceterum:

Quando poteſt fieri debent ſimul utraque ſumi.

Titulo ult. de ſolo Calice absque Pane haec leguntur:

Accipitur uere chriſtus totus ſub utroque.
Aſſunt infantes baptizati modo teſtes.
Corpus percipiunt. quod ſolo ſanguine ſumunt.
Ad reliquam ſpeciem quod habent necdum bene dentem.

Igitur et Communio *Laicorum ſub utraque Specie*, et *Infantum* Communio Seculo XII. etiamnum in uſu fuit, deinceps ob varios abuſus intermitti coepta a quibusdam Eccleſiis, dum a Latina penitus abrogaretur, *Bohemis* Sec. XIV. reclamantibus, ut notum.

CCCXXXIV.

Codex chartaceus, lat. Sec. 827
XVI. Folior. 164. 8. minute exaratus conſtat his partibus: I. Collectis Patrum et piorum Scriptorum teſtimoniis, *quod Maria conceperit, pepererit, permanſeritque virgo.* Videntur collecta